

I 2 W

1 6 0 5





✓ 00/19.

Handwritten number 396.

Gesner, Jul. (3<sup>te</sup> disputaciones)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit  
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7





DISPUTATIO XIV.

*Pro Examine Chemnitiano*

DE IUSTIFICATIONE CONTRA DECRETUM SEPTIMÆ SESSIONIS TRIDENTINÆ, continens

Quatuor capita

- I. Definitionem justificationis.
- II. Veterum sententias de eadem
- III. Pontificiorum dogma.
- IV. Argumentorum solutionem.

De quâ

SVB PRÆSIDIO

SALOMONIS GESNERI  
S. S. THEOLOGICÆ D. ET PROFES-  
SORIS publici in Academia Witebergensi in  
privato disputationum theologicarum col-  
legio respondebit

DAVID MVLLENIVS  
*Dithmarsus*

Ad diem 30. Iunii Anno Christi 1602.

W I T E B E R G Æ,

Typis VVolfgangi Meisneri.







REVERENDISSIMI,

ILLVSTRISSIMI, SERENISSIMI

miq; Principis ac Domini,

Dn. IOHANNIS ADOLPHI Episcopi Lubecensis Hæredis Norvvegiæ, Ducis Slesvvigæ, Stormariæ ac Dithmarsia &c : comitis in Altenburgk & Delmenhorst : Domini nostri clementissimi &c : Consiliario ac Cancellario dignissimo.

Dn. NICOLAO IVNGIO Dithmarso I. V. D.

Dn. IOHANNI HELDIO Regiæ Majestatis præfecto.

Dn. IOHANNI VVASMARO Regiæ Majestatis scribæ provinciali.

Dn. MICHAELI BOETIO Iuniori Excellentissimi & clarissimi Viri Dn. MICHAELIS BOETII I. U. Licentiari P. M. charissimo filio

REVERENDIS ET CLARISSIMIS VIRIS.

Dn. STEPHANO RAMMIO Australis plagæ Dithmarsia præposito

Dn. MICHAELI BOETIO Pastori Wilstriensi.

Dn. IOHANNI DRESEMIO Marnensi Pastori.

Dn. EMANVELI BB. Pastori Wescelburano

Dn. HENNINGO BVMANNO affini suo charissimo

*Mecenatibus suis ac patronis summoperè suspiciendis.*

Debitæ Reverentiæ ac honoris

ergo.

D. D. D.

Respondens.





# DE IVSTITIA FIDEI CORAM

Deo eiusq; veris causis.

## THESIS I.



*Un sententia huius articuli acerrimè & olim oppugnata fuerit & hoc etiam tempore à quibusdam oppugnetur, tamen immotus & invictus perstitit hic Articulus & perstabit in æternum contra rabiem hæreticorum & portas inferorum. ἀκίνητος γὰρ ἡ ἀλήθεια, ψευδοδείξια δὲ καταλύεται, imò adversariorum ἢ ἑτεροδιδασκαλία ἢ κενωφωρία ita expertus est, ut veritati quidem suus nitor, mendacio autē sua ἀισχημοσύνη nunquam defuerit.*

### CAPVT I. DE DEFINITIONE.

#### II.

*Articulus confessionis, quòd homines non possint iustificari coram Deo proprijs viribus, meritis atq; operibus sed gratis iustificentur per fidem, cum tradunt se in gratiam recipi & peccata remitti propter Christum, qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit. Hanc fidem Deus imputat pro iustitia coram ipso Rom. 3. v. 4.*

#### III.

*Accipitur autem verbum iustificandi in hoc negotio non ἐκτικῶς pro imbuere iustitia positiva sua inhaerente, vel facere iustum datis seu infusus novis qualitatibus, nec ἐνεργητικῶς, pro operari actiones iustas sive iustitiam, nec σημαυτικῶς pro declarare seu manifestare fidem iustificantem, sed παθητικῶς tantum pro eo, quod est iustum fieri, absolvi à reatu, cum Deo reconciliari.*

#### IV.

*Habet ergo significationem forensam toti negotio iustificationis optimè convenientem. Cum enim in iustificatione hominis*

A 2

coram



coram Deo judicialis quidam sit processus; etiam iudiciali vocabulo spiritus S. uti voluit: Vi enim in civili foro iudex rerum iustificat, dum à reatu, qui impingebatur, absoluit, & innocentem pronunciat: ita in speciali iudicio Deus iustificat, quando hominem peccatorem in ipsius conspectum & iudicium deductum pro iusto censet ac absoluit, & ut iustum ac innocentem tractat: sicuti hoc modo actum iustificationis Paulus describit Rom. 3. v. 19. 20. cap. 5. v. 10. & 16. 19. cap. 8. v. 33.

## V.

Confirmatur hac significatio 4. potissimum rationibus. I. usu trium linguarum puriorum, Hebraeae, Graecae & Latinae. Hebraeum enim *Isadac* idem est, quod iustum reputare seu pronunciare. Graecum *δικαιῶν* idem est, quod *δικαιοῦν νομιζέω*, vel *ἀντιτῆς δικαιοῦν κριτέω*. Latinum iustificare communiter pro reatu absolvere accipitur.

## VI.

Secundo, naturā oppositionis. Verbum iustificare opponitur verbo condemnare. Rom. 4. v. 7. 8. & Rom. 5. v. 16. & 8. Ergo ut condemnare est alium ut nocentem declarare & poenis addicere: ita contra iustificare erit aliquem innocentem pronunciare & à reatu absolvere. Ioh. 3. v. 18.

## VII.

Tertiò *συνωμολογεῖς*, quibus alibi in scriptura spiritus S. Emphasin & genuinam huius significationem declarat. *συνωμολογεῖς* enim accipiuntur iustificari, cum Deo reconciliari. Rom. 5. v. 10. servari Matth. 1. v. 21. Actor. 4. v. 12. & 15 v. 11. non iudicari, non venire in iudicium Ioh. 5. v. 24, in filium Dei adoptari. Ephes. 1. v. 5.

## VIII.

Quartò. Exemplo Abrahae patris omnium fidelium, Davidis, Latronis, publicani & aliorum, qui non propria iustitiā seu operibus seipsos iustificarunt, sed in Christo mediatore remissionem peccatorum sunt consecuti, & propter efficaciam meriti ipsius



ipsius a peccatis absoluti Rom. 4. v. 5. & 7. Luca 19. v. 15.  
cap. 23. v. 43.

CAPVT II. VETERVM SENTENTIAE DE  
justificatione.

I.

Basiliius in concione de humilitate. Qui gloriatur, in Domi-  
no gloriatur, quia Christus nobis factus sit a Deo iustitia, sapien-  
tia, iustificatio, redemptio. Haec est perfecta & integra gloriatio  
in Deo, quando neq; ob iustitiam suam quis se iactet: sed novit  
quidem seipsum vera iustitia indignum esse: sola autem fide in  
Christum iustificatum. Et ne quis existimet, Basilium de non re-  
natis loqui, adducit exemplum Pauli Philipp: 3, qui iustitiam  
operum suorum non tantum, quam in Pharisaismo habuit, sed & il-  
lam, quam tunc cum epistolam ille scriberet, habebat, contem-  
nit, ut in qua nolit inveniri, quod attinet ad iustificationis a-  
ctum ceteram Deo ad vitam eternam.

II.

2. Basiliius in Psalm: 114. Manet enim sempiterna requies  
illos, qui in hac vita legitime concertarunt: non ob eorum meri-  
ta factorum, sed de munificentissimi Dei gratia, in qua spera-  
vunt.

III.

Augustinus in alijs charitas maior, in alijs minor, in alijs  
nulla est. Plenissima vero, quae iam non potest augeri, quam diu  
hic homo vivit, in nemine est. Quam diu enim augeri potest,  
perfecto illud, quod minus est, quam debet, ex vitio est.

IV.

Ambrosius de Iacobo & beata vita cap. 6. Non gloriabor,  
quia iustus sum, sed quia redemptus: gloriabor, non quia vacuus  
sum peccatis, quia mihi remissa sunt peccata: Non gloriabor, quia  
profui, neq; profuit mihi quisquam, sed quia pro me advocatus  
apud patrem Christus est, sed quia pro me Christi sanguis effu-  
sus est.

A 3

s. Gre-





## V.

Gregorius in Ezechielem homilia 7. Iustus igitur advocatus noster, iustos nos defendit in iudicio, quia & nos ipsos cognoscimus & accusamus iniustos. Non ergo in fletibus, non in actibus nostris, sed in advocati nostri allegatione confidamus.

## VI.

Faceat ergo ἀκυρολογία, quae ex compositione verbum iustificare iudicant, contendentes in hoc negotio δικαιοσύνη significare iustitiae qualitates infundere, sicut vivificare & calefacere significant τελευτώ, expulsa una qualitate aliam inducere, in quo non puritatem linguarum, nec oracula spiritus S. Sed scholasticorum somnia sequuntur. Hi enim docent iustificationem esse transmutationem de statu iniustitiae ad statum iustitiae. Et sicut in quolibet motu est recessus à termino à quo, & accessus ad terminum ad quem: ita in iustificatione penunt expulsionem culpa & infusionem gratiae.

## VII.

Valeant Ostiarii nuge, quibus genuinam huius verbi significationem obscurare conatus est, contendens, nis δικαιοσύνη coram Deo essentiali iustitia Dei in nobis habitantis & efficaci sua praesentia novas qualitates & virtutes & habituales iustitiam in nobis operantis: Et per iustitiam Dei in hoc negotio intelligit eam, quae in sese Deus iustus est, cuius inhabitatione hominem iustificat. Quod sigmentum Augustinus libro 3. de spiritu & litera ad Marcell: refutat, inquiens. Non propterea iustitia Dei dicitur, quoniam Deus iustus est; sed quia homini ex Deo est: sive ut idem alibi loquitur, iustitia Dei est non qua Deus iustus est, sed qua induit hominem, cum iustificat impiū. Sicut enim fides Christi dicitur, non qua Christus credat, sed qua ex Christo & in Christum creditur.

## VIII.

Sunt & illorum σοφόν φάσμακον est detestandum, qui Metaxea religionis, quem interim sive inter religionem vocamus, & δικον



259.  
Ἐπινοήσαντες ἄλλοις πείθεσθαι ἡμᾶς ἰustificari & sal-  
uari partim imputatione, partim inchoatione vite, uti & ge-  
nuina huius verbi significatio corrumpitur recentium quorun-  
dam opinione, qui docent nos iustificari passibili qualitate in no-  
bis, confundentes iustificationem cum sanctificatione.

### CAPUT III. DE TRIDENTINI CONCI- lij sententiâ de justificatione.

I.

Dupliciter autem respondent Tridentina decreta. I. negant  
justificationem peccatoris esse remissionem peccatorum, & multa  
dicunt anathemata, si quis dixerit, homines per iustitiam Chri-  
sti coram Deo iustos esse, vel hominem iustificari nuda imputa-  
tione Iustitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum vel iusti-  
ficari gratia, hoc est, tantum favore Dei aut misericordia.

II.

Affirmant, justificationem impij coram Deo ad vitam æ-  
ternam, non esse solam remissionem peccatorum, sed & sanctifi-  
cationem interioris hominis. Et unicam causam formalem iusti-  
ficationis affirmant esse illam iustitiam à Deo nobis donatam,  
quâ renovamur spiritu mentis nostræ, ut non modo reputemur,  
sed verè iusti nominemur.

III.

Qui vult remissionem peccatorum accipere, debet iuxta Con-  
cilij Tridentini sententiam, interponere inter peccata sua & of-  
fensam Dei non satisfactionem Christi, sed inhaerentem suam  
charitatem: Et tunc demum credat Deum remissâ offensione si-  
bi certò placatum & propitium esse, quando charitas peccatum  
ita repulerit & extinxerit, ut omne eius vestigium in homine  
abolitum sit; hæc enim sunt Andræ verba.

IV.

Nos verò dicimus & affirmamus, Modum iustificationis cō-  
sistere in imputatione obedientiæ, satisfactionis, meriti & iusti-  
tiae



tie Christi Mediatoris Luce 18. v. 14. Vnde Iustitie imputati-  
 ve appellatio obtinuit, que & iustitia aliena dicitur, quia fun-  
 damentum huius imputationis non est in eo, cui fuit imputatio,  
 sed in Christo, ut ex Roman: 4. v. 5. 6. & c, cap. 5. v. 9. 10. 12.  
 cap. 9. v. 30. 31. cap. 10. v. 3. 4. 9. 10.

## V.

Quomodo enim Remissio peccatorum fit, ut peccata,  
 quamvis re ipsa insint, tamen non inesse propter expiationem  
 Christi factam reputentur: ita vicissim innocentia & iustitia,  
 quamvis facta ipso non insint, inesse tamen propter Christi obe-  
 dientiam credentibus censeantur: sicuti hanc Analogiam, que  
 reatui illi, quem Christus pro nobis sustinuit, & iustitie, qua nos  
 ex ipso fruimur, intercedit, Apostolus eleganter declarat 2. Cor.  
 5. v. 21, inquit, Eum: qui non novit peccatum, pro nobis fecit  
 peccatum, ut nec afficeremur iustitia Dei in ipso: sicut igitur  
 Christus pro nobis factus est peccatum non ex tunc in-  
 herente qualitate, aut habitu infuso sed sola imputatione, ita ut ipsi pec-  
 cata nostra imputarentur: ita nos in ipso sic sumus iustitia Dei,  
 ut nobis iustitia ipsius imputetur, Gal. 3. v. 13. cap. 4. v. 4. Et  
 hac iustitia nobis imputata, induiti & quasi vestiti coram Deo  
 iusti sumus Rom. 8. v. 32.

## VI.

Fit autem hac infinita Christi iustitia ( que nihil aliud est  
 quam satisfactio Christi legi pro nobis prestita ) nostra duplici  
 applicatione; Prior est, que nobis credentibus satisfactionem  
 Christi, hoc est, legis impletionem, & pœna peccatis nostris debi-  
 ta per solutionem imputat & nostram ducit, perinde ac si ipsimet  
 legem implevissemus & pro peccatis nostris debitas pœnas luis-  
 semus: atq; a deo illam satisfactionem prestitissemus 1. Cor. 1. v.  
 30. 2. Cor. 5. v. 21. Posterior est nostra: tunc enim applicamus no-  
 bis impletionem legis à Christo prestitam, cum firmiter statui-  
 mus quod Deus nobis eam applicet, imputet, donec & propter eum  
 nos pro iustis reputet, absolvens nos ab omni reatu.

CAPVT



261  
CAPVT IV. ARGVMENTA PON-  
tificiorum.

I.

Concedunt quòd necessarium sit peccatum non remitti, nisi gratis diuina misericordia propter Christum. Illud verò inde scimus credendum esse, quia doctrina Evangelij hanc promissionem fidei proponit.

II.

Nemini tamen in sola fiducia & certitudine remissionis peccatorum suorum acquiescenti, peccata dimitti, dicendum est. Fides igitur in Concilio Tridentino ita credit promissionem Evangelij de gratuita remissione peccatorum propter Christum, ut tamen in eà acquiescere non ausit.

III.

Rationem adducunt, quia etiam apud hereticos possit esse vana & ab omni pietate remota fiducia.

IV.

Ne illos quidem, qui verè iustificati sunt, debere absq; vlla omninò dubitatione apud semetipsos statuere, se esse iustificatos.

V.

Dicunt non esse asserendum, neminem à peccatis absolvi & iustificari nisi eum, qui credat, se absolutum & iustificatum esse. Sentiunt ergo homines à peccatis absolvi, etiamsi non certò credant se absolutos esse, hoc est, docent absolutionem sine fide.

VI.

Penunt pios quidem in genere non debere dubitare de promissis Dei, De efficacia mortis Christi, de merito Christi, de sacramentorum virtute, sed quod applicationem ad individua attinet, quilibet dum suam propriam in dispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere debet.

Nos econtra.

VII.

Fides hac qua duximus nos iustificari, est viva & per charitatem

B

ritatem



ritatem efficax. Galat. 5. v. 6. 1. Tim. 1. v. 5. nec Deus nos iustificat remissione peccatorum & imputatione iustitiæ Christi, quin etiam participes nos faciat sua divina nature, quin regeneret, resingat, sanctificet, inherente iustitiâ donet, conformesq; faciat imagini filij Dei: Ut enim non solum inobedientia Adæ nobis fuit imputata, sed etiam nature eius corruptio in nos est derivata: Sic etiam non solum obedientia & iustitia Christi nobis imputatur, verum etiam sanctitas & renovatio reipsa communicatur, ut nova fiamus creatura.

## VIII.

Et sic aequè renovatio & vivificatio est beneficium Christi quod passione & morte sua acquisivit & credentibus confert, ut justificatio Rom. 5. sed illa non eandem vim habet, quam hæc. Hæc enim vera & perfecta est iustitia infinita Dei iræ & rigori legis correspondens: illa verò imperfecta & inchoata tantum, atq; ob id in Dei iudicio consistere nequit.

## IX.

Distinguenda ergo est justificatio à regeneratione, renovatione & vivificatione. Nam πῶστον φῦδος sophismatum adversariorum est, hæc esse unum & idem & ex commentitia hac ὑποθέσει postea inferunt, quemadmodum regeneratio & renovatio in virtutibus seu qualitatibus à spiritu sancto in nobis accensis & in studio bonorum operum consistit, ita & justificationem in eisdem consistere: sed discrimen magnum est, cuius observatio magnam habet utilitatem. Similiter vox sanctificationis generaliter usurpatur pro actione Dei, quæ nos sanctificat imputativa & inchoativa à sanctificatione. Imputativa qui idem planè est quod iustificatio, inchoativa qui est renovatio hominis: utraq; completitur Christus Ioh. 17. v. 19. Specialiter I. pro justificatione Hebræor: 10. pro sola renovatione.

## X.

Eodem modo & vivificationis vocabulum dupliciter. I. in genere pro justificatione & renovatione simul, ut Ephes. 2. Cum  
essimus



263

essemus mortui per peccata, una vivificavit nos per Christum, id est justificavit & renovavit. Deinde in specie, id rursus bifariam. I. pro remissione peccatorum seu justificatione tantum. Cum enim Deus hominem, qui in peccatis erat mortuus Ephes. 2. v. 1. Et morti aeternae legis sententiâ adjudicatus, à peccatis absolvit & Christi satisfactionem ipsi imputat, eo ipso ex morte in vitam eum revocat. II. pro sola renovatione accipitur, quando veteris hominis depositionem & novi assumptionem notat Psalm. 118.

XI.

Renovatio verò propriè loquendo fructum seu effectum justificationis denotat & complectitur tria: depulsionem errorum mentis, correctionem voluntatis & repressionem affectuum vitiosorum in corde. Ephes. 4. v. 23. differt à justificatione 4. potissimum modis. I. ordine: Justificatio enim precedit, renovatio verò subsequitur. II. effectu. per justificationem reddimur justì λογισμῶ seu imputatione: Per renovationem habitu justì & sancti fieri incipimus: III. formâ. Justificatio est perfectissima & absolutissima: Renovatio autem imperfecta. IV. duratione: Justificatio imputativa cessabit in alterâ vitâ, nam fides tunc cessabit: Renovatio tunc complebitur.

SOLI DEO GLORIA.





CARMEN  
 AD HUMANISSIMUM ORNA-  
 TISSIMUM NEC NON DOCTISSIMUM,  
 Dn. DAVIDEM MULENIUM Dithmarsium  
 Commensalem jucundissimum S. S. Theologiae Stu-  
 diosum, Respondentem.



Vt miser ante DEI faciem peccator & ora  
 Immunis trepido stare timore queat;  
 Lethiferumq; gravi scelerum sic mole levatus  
 Iustior æthereas possit inire domos:  
 Excutis ad verbi canones cœlestis, & aptè,  
 MULENI, tractas grande laboris opus.  
 Nil operum tribuis, quæ non perfecta, figuris.  
 SOLA beat, CHRISTI quæ nece nixa, FIDES.  
 Omne Sûitarum MERITI Charitonius ordo  
 Quod jactat PROPRII, diluïs arte sophos.  
 Articulum circa quis & hunc rationis abortus  
 Delirat, Satanæ dogmatis instar habes.  
 Macte pijs adeo conatibus, acer & illam  
 Salvifica pergas asseruisse Fidem,  
 Discepta tricis pia quæ certamina linguæ  
 Suscipis, in cœlis ampla brabæa manent.  
 Irritus in Domino non est labor ullus: at obsunt  
 Sub tellure, pigro fossa talenta situ.

A. E. F. C.

Paulus Clausius VViennens.





99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405




17470c

Retro


VD17











253

14

XIV.  
nitiano  
IFICATI  
DECRE-  
IONIS TRI-  
ens  
ta

DIO  
GESNERI  
ET PROFES-  
Witebergensi in  
eologiarum col-  
ebit

ENIVS  
Christi 1602.  
R G Æ,  
gi Meisneri.

